



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

15. Audaciùs scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam reducens vos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

omnibus, quibus potuit, singulariter sapere
voluit.

15. *Audaciùs scripsi vobis, fratres, ex parte; tã-
quam in memoriam reducens vos.*

Scripturæ
omnē do-
ctrinā non
comple-
tuntur.

HAereticorū hodie temeraria sententia,
qua omnem fidei doctrinam in Scrip-
turis contineri asserunt, vel ex hoc loco re-
futari potest. Hæc enim verba docent, Pau-
lum Apostolum in hac epistola, tamen ma-
ximè dogmatica & valde morali, non tamen
ita scripsisse, vt eorum quæ tractat vel dog-
matum, vel ad mores, omnem necessariam
doctrinam tradere & complecti voluerit, sed
tantum vt de huiusmodi Romanos iam cre-
dentes, & vt ipse dicit, *omni scientia repletos*,
commonefaceret de ijs quæ iam crediderant;
& scribens ex parte, vt dicit, quasi que com-
pendio; quia verbum sapienti sat est. Sic D.
Matthæus à Iudæis recedens, scripsit illis suum Euā-
gelium, quasi aliquod memoriale doctrinæ & prædi-
cationis suæ illis relinquere volens, vt scribit Eu-
sebius in Histor. Ecclesiast. Sic Marci Euan-
gelium monumentum erat prædicationis à Petro
apud Romanos factæ, & illis relictum, vt idem
scribit Eusebius eodē in opere; & D. Chry-
sost. in Matth. vbi de omnibus Euāgelij di-
cit, *admonitionis causa illa scripta fuisse*. Nepe-
tota fidei & morum doctrina per prædicatio-
nem tradita & explicata fuit; eius aliquæ
partes, & quidem per compendium, ab
Apostolis

Lib. 1.
cap. 24.

Lib. 2.
cap. 14.
Homil. 1.

Apostolis per occasionem scriptæ fuerunt, vt omnium epistolarum Apostolicarum argumenta declarant.

CAP. XVI.

11. *Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino.*

Aliquid hîc fermenti admiscere Caluinus voluit, quò & hanc quoque massæ Apostolicæ partem inficeret. Quia hic Narcissus Neronis libertus fuisse videtur Romæ agens, ansam ex eo cauillâdi arripit. Nimis indignum (inquit) esset, in tã longo catalogo Petrum præteriri, si tunc Romæ fuisset. Atqui fuisse oportet, si Romanensibus creditur. Porro si in rebus dubijs nihil melius est quàm probabilem coniecturâ sequi; nemo, qui mediocriter iudicabit, persuadetur verû fuisse quod affirmant. Nunquã enim à Paulo fuisset omis-
sus. Inepta & putida cauillatio est. Tamen si Petrum Romæ 25. annis cathedram tenuisse scribat D. Hieron., totaque Antiquitas Petrum Romæ & prædicasse & martyrium obiisse vnanimi cõsensu attestetur (ipsa testimonia alibi protulimus) non sequitur tamẽ
Petrû Romæ sedisse
In 1. Petr.
(vt ineptè nugatur Caluinus) oportere eum Romæ tunc fuisse quum hæc Paulus scriberet; quando nemini dubium esse potest, sic Petrum aliosque Apostolos certis in locis sedes suas posuisse, vt non tamẽ in illis perpetuò residerent; verùm pro Apostolatus
sui

Ecc 3

sui